

150

148

154

144

159

139

199

099

249

049

Ende

Anfang

135

onera, vel alias faciendo animosa. Alii cum omnibus his communicant assistendo, tunc illis, nunc istis. Alii sedent et mare ac terram, quam transeunt, considerant, et consribunt, et libellos conficiunt, quod fuit meum negotium cottidianum post dictas horas canonicas. Solliciti enim nec in navi existentes otiantur. Nam Jeronymus ad Asellam pulchram valde conscripsit epistolam de fictis amicis in navi, remeans a Roma Jerosolymam. Est denique inter omnes occupationes navigantium una vilis quidem, sed admodum communis et necessaria et cottidiana, quae est vermium vel pedicularum insecurio sive captio. Nisi enim homo aliquas horas ad hunc deputat laborem in peregrinatione existens, inquietam habebit dormitionem. In vita Philosphorum legitur de Homero philosopho, quod die quadam spatiabatur in litore maris, ad quod navis quae-dam appulit, in qua homines sederunt, pediculos quaerentes et ridentes; a quibus dum philosophus causam risus quaequivisset, respondit ei unus: de hoc, inquit, ridemus, quia quotquot cepimus, non habemus, et quos non cepimus, retinemus. Homerus autem direxit cogitatum ad capturam piscium, et non potuit pro pleuma [problema] intelligere. Unde ex hoc in tantum amaricatus fuit, quod in insaniam versus se ipsum suspendio peremis. Haec autem omnia fiunt plus et minus secundus dispositionem temporum. Mutantur enim sensibiliter affectiones hominum in mari, secundum influxum coelestium corporum, et aëris impressiones, et motum maris amplius quam in terra firma. Vidi saepe diem, in qua omnes jocundi, hilares et boni socii eramus, nemo dormiebat, omnes gaudebant. E contrario, vidi diem, in qua tantum silentium, tanta quies erat, ut quasi nemo audiretur, in qua omnes dormitabant, et tristes sedebant. Saepe tanta pace et concordia conjunctos peregrinos vidi, ac si omnes fuissent unius matris fratres. Sed quandoque tot litigia et contentiones vidi oriri ex minimis causis, quod galéa erat quasi infernus propter maledictiones et blasphemias. Notavi manifeste, quod motus omnium passionum vehementior est in aqua quam extra. Sic ergo ducunt horas dierum in navi. Semper defecit mihi dies ante operum meorum completionem.
(52 A).

